MAXIMÆ
BIBLIOTHECÆ
VETERVM PATRVM,
ET ANTIQVORVM SCRIPTORVM
ECCLESIASTICORVM
SVPPLEMENTVM
BIPARTITVM,
SEV
TOMVS VIGESIMVSSEPTIMVS,

CVIVS

PRIMA PARS

SECVNDA,

Accedunt *præclari, in hac tàm multiplicium Scriptorum vaſtiſſimâ collectione verè faces, & ut quis ad ipſorum lectionem introducatur, utiliſſimi, imò omninò neceſſarij.*

ipſorum ætates, & ſcripta indicans.
Authores per materias de quibus egerunt exactè diſtribuens.
appellatus, operum omnium Authorum analyſim continens, & argumenta exhibens.
materiarum, ampliſſimus.

Conſule quæ de his indicibus in ipſorum frontiſpicio, circa eorum utilitatem, & uſum prænotata ſunt.

Apud ANISSONIOS.

M. DC. LXXVII.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

BIBLIOTHECÆ VETERVM PATRVM, ET SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM SVPPLEMENTVM.

B F

AD SECVLVM TERTIVM.

HIPPOLYTI EPISCOPI ET MART. DEMONSTRATIO, De Chriſto & Anti-Chriſto;

C

INTERPRETE P. FRANCISCO Combefis O. P.

NOTA.

HAnc vetuſtiſſimi Theologi lucubrationem iuris publici facimus; Quod enim Hippolyti nomine opus de Antichriſto hactenus plures oneraverat, ſequioris Græciæ monumentum eſt, ac plane Stramineum nihil ævi illius ſinceritatem redolens, aut veriam magni cum ſimplicitate Theologi, ſanſque in ſcripturis verſati; Cuius parens ea ipſa perſuaſio fuerit, quod ſcripſiſſe Hippolytum de Anti-chriſto apud antiquos pervulgatum ſit.

Vide Photium in Bibliotheca Cod. 121.

D

QVOD ita deſiderio fatigabas, Frater mi chariſſime Theophile, vt à me tibi propoſita capita diligenter perdiſceres; operæpretium putavi, velut ex ſacro fonte, ex ſacris ipſis affatim Scripturis hauriendo, ob oculos quaſi præſentia ea ponere, de quibus vertitur quæſtio: vt nedum humanis hæc auribus conſignando læteris, ſed & res ipſas virtute luſtrando, per omnia Deum laudare poſſis. Hoc enim præſenti, quam agimus vita, rerum à nobis tibi eſto viæ præſidium, quòd paratis inferens rationibus ac ſermonibus, velut terra munda, in cordibus fœcundo ſemines. Sed & his, adverſantes ſalutari doctrinæ ac contradicentes in tormentum eges. At vide ne ad incredulas ac maledicas hæc linguas traducas (nec enim hoc leue periculum eſt) ſed ac viris religioſis ac fidelibus, qui ſanctè ac iuſtè in Dei timore vivere velint, impertias. Non enim fruſtra beatus Apoſtolus commendo Timotheum, ait, *O Timothee depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam profitentes, circa fidem erraverunt.* Et rurſus, *Tu autem, fili mi, confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto: & quæ audiſti à me per multas exhortationes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt vt & alios doceant.* Cùm igitur beatus Apoſtolus hæc cautè ac metu traderet, quæ ab omnibus facilè cognoſci poſſent, videns ſcilicet ſpiritu; Non eſſe omnium fidem; quantò res nobis maioris periculi fiet, ſi temerè nullaque ratione profanis hominibus atque indignis tradiderimus divina eloquia?

Nam quia beati Prophetæ oculi nobis fuerunt, ipſi per fidē, Verbi myſteria prævidebant, & quæ aliis poſtmodum ætatibus miniſtrarent, neſcium quæ præterita eſſent loquentes, ſed & præſentia atque futura nunciantes, ne ſolùm Propheta temporaneus eſſe monſtraretur, ſed & cunctis ætatibus futura prædicerent, vt Propheta eſſe exiſtimaretur. Hi namque Patres ſpiritu propheticæ aptati, digneq; ab ipſo Verbo honorati, quò inſtrumenta velut organa in ſeipſis ſemper vnitum Verbum tanquam plectrum haberent; cuius nutu atque afflatu, quæ Deus vellet hæc Prophetæ annuntiabant. Non enim ex ſua facultate loquebantur (verùm dico) nec quæ ex animo eſſent, hæc prædicabant: ſed primùm quidem Verbi nomine ritè ſapientiâ imbuti, exinde per viſa, quæ eſſent futura probè perdocebantur, ac demum certa jam rerum fide, ea dicebant ac prædicabant, quæ illis divino Numine duntaxat manifeſtata forent, reliquis verò abſcondita. Nam qua ratione Propheta, propheta vocaretur, niſi quæ ſunt futura ſpiritu prævideret? Nam ſi Propheta de caſu aliquo loqueretur, ea loquendo non eſſet Propheta, quæ ob oculos cunctis poſita eſſent: Sed qui futura narret, is meritò Propheta exiſtimatus eſt. Vnde convenienter Prophetæ à principio *Videntes* vocabantur. Vnde & nos eorum probè docti vaticinia, non ex noſtro ſenſu loquimur. Non enim alij aliis, quæ pridem prædicta ſunt verba, nova mutare tentamus, quorum ſcripturas in lucem edentes, his qui rectè credere valeant, legimus, quod hinc vtriſque commodum veniat,

Margin notes: 1. Timoth. 6. — 2. Tim. 2. — G — 2. Theſſ. 3. — Prophetæ Videntes oculi. — Prophetia honorati ex Dei nutu. — 2. Petri. 1. 21. — H — Prophetæ, Videntes. 1. Reg. 9. 9.

A quod acceperunt immaculatum ipſum perferant vſque in finem. Per Dominum, &c.

Miſſa in vigiliis ſanctæ Paſchæ.

Sacroſanctæ noctis iſtius gratiâ tenebris ſecularibus liberati, & ad iuſtitiæ atque lucis cœleſtis gratiam promiſſam electi, omnipotentis Dei Patris infatigabilem bonitatem per Chriſtum filium eius, fratres dilectiſſimi, deprecemur, vt Eccleſiam ſuam ſanctam Catholicam diffuſam per orbem terrarum, quam ſibi amantiſſimi filij ſui paſſione & glorioſiſſimo ſanguine conquiſiuit, ingi maieſtatis ſuæ protectione cuſtodiat, atque contra omnes mundi inſidias tutam, defenſamque concedat, ac præſtet tempora tranquilla in perpetuum. Per Dominum noſtrum, &c.

Collectio.

Redemiſti nos Domine Deus per lauacrum regene-
B rationis & ſanguinem emeracis, vt illa caro quæ primum in Adam mortalis fuerat effecta, per paſſionem maieſtatis tuæ rurſum reuocaretur in cœlum.

Poſt nomina.

Oremus pro his qui offerunt munera Domino Deo noſtro ſacroſancta ſpiritalia pro ſe & pro charis ſuis, & pro ſpiritibus charorum ſuorum, in commemorationem ſanctorum Martyrum, vt Dominus Deus noſter preces illorum clementer exaudire dignetur. Per Dominum, &c.

Ad pacem.

Comple Domine vota ſupplicum, exaudi gemitus peccatorum, oſculetur nos ab oſculo oris ſui pacis magiſter & conditor, vt in nobis hoc recipientibus holocauſtum, pacem quam ſperamus habeamus. Per Dominum, &c.

Immolatio.

C Dignum & iuſtum eſt, æquum & iuſtum eſt nos tibi hic & vbique gratias agere, tibi laudes dicere, & hoſtias immolare, & confiteri miſericordias tuas Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus ſolus. Tu feciſti cœlos in intellectu. Tu formaſti terram ſuper aquas. Tu feciſti luminaria magna, Solem in poteſtatem diei, lunam & ſtellas in poteſtatem noctis. Tu feciſti nos & non ipſi nos. Opera manuum tuarum non omittas. Tuus eſt dies, &

D

E tua eſt nox. In die enim mandaſti miſericordiam tuam, & in nocte declaraſti, quam hodiernis vigiliis in luminis huius feſtiuitate celebramus. Hæc eſt enim nox ſalutaribus conſcia ſacramentorum. Nox in qua veniam peccatoribus præſtas, de veteribus hominibus nouos efficis, de ſenibus effœtis maturos reddis infantes, quos in nouam creaturam renatos de ſacro fonte producis. Hac nocte in æternum diem renaſcentes populi procreantur, regni cœleſtis atria reſerantur, & beatâ lege commerciis diuinis humana mutantur. Hæc eſt enim nox illa quæ facta eſt in deliciis, in qua maxime delectaſti nos Domine in factura tua. Nox in qua inferna patuerunt. Nox in qua abſolutus eſt Adam. Nox in qua inuenta eſt dragma quæ perierat. Nox in qua boni paſtoris humeris reportata eſt ouis perdita. Nox in qua diabolus occubuit, & ſol iuſtitiæ Chriſtus exortus eſt, & ſolutis inferni nexibus, clauſtriſque perfractis, multa ſanctorum corpora de ſepulchris erumpentia introierunt in ſanctam ciuita-
F tem. O vere beata nox quæ ſola meruit ſcire tempus & horam qua Chriſtus reſurrexit, de qua iam in Pſalmo fuerat prophetatum, quia nox vt dies illuminabitur. Nox in qua exorta eſt reſurrectio in æternum. Te enim omnipotens Deus creaturarum cœleſtium multitudo, & innumerabiles Angelorum chori ſine ceſſatione proclamant dicentes Sanctus.

Poſt ſanctus.

Tuo iuſſu Domine condita ſunt vniuerſa in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis. Tibi Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, atque omnes Sancti gratias agunt: quod & nos facientes has hoſtias ſpiritales, & ſincera libamina vt libens exaudias, deprecamur. Te oramus vti hoc ſacrificium tua benedictione benedicas, & Spiritus ſancti tui rore perfundas, vt ſit omnibus legitima Euchariſtia, per Chriſtum Dominum noſtrum, qui pridie, &c.

Collectio ad panis fractionem.

G Reſpice ad hanc oblationem omnipotens Deus, quam tibi offerimus in honorem nominis tui pro ſalute Regum & exercitu eorum, & omnium circum adſtantium; Et præſta, vt qui ex ea ſumpſerint, accipiant ſanitatem mentis, integritatem corporis, tutelam ſalutis, intellectum ſenſus Chriſti, ſecuritatem ſpei, corroborationem fidei, æternitatem Spiritus ſancti. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.

FINIS SVPPLEMENTI MAGNÆ BIBLIOTHECÆ Veterum Patrum & Scriptorum Eccleſiaſticorum.

H

ANNO M. DC. LXXVI.